



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXVI. De obligatione Notarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XXVI.

De obligatione Notarii.

Fabricius Notarius sciens non nunquam conficit instrumentum, in quo sub specie mutui, vel alterius contractus liciti palliantur usuræ, ex quo fit, ut mutuatarius postea re ipsa solvere cogatur usuras. Sæpe non manifestat legata iis, quibus fiunt, pecuniâ corruptus ab iis, qui ea solvere tenentur. Non nunquam ex ignorantia, vel negligentia in conficiendis instrumentis aliqua omittit, quæ ad illa requiruntur, & pro iis conficiendis in petendo pretio excedit.

QUÆR. I. An, & quomodo Fabricius Notarius peccet, & ad restitutionem teneatur consciendo instrumenta palliatam usuram continentia?

QUÆR. II. An, & quomodo peccet Notarius, & ad restitutionem teneatur non manifestando legata iis, quibus fiunt, vel ex imperitia, aut negligentia omittendo aliqua ex iis, quæ ad confectioem instrumenti requiruntur?

QUÆR. III. An Notarius accipiens aliquid ultra pretium taxatum, etiam sponte oblatum, peccet, & ad restitutionem teneatur?

156 **A**D I. Q. Satis convenit inter DD. si Notarius instrumentum conficiat, quod expressè contractum usurarium continet, & exprimit, peccare quidem Notarium, quia agit contra suum juramentum, quod Notarii, dum munus illud suscipiunt, facere solent, non tamen peccare contra justitiam, adeoque nec teneri ad restitutionem, quia vitalis instrumenti non possunt exigi usuræ, utpote quod nullam vim, seu jus tribuit usurario ad recuperandam usuram; nec Judex Notarium obligabit ad aliquid solvendum, nisi, ut cum aliis excipit Toletus l. 5. c. 61. alicubi statutum iniquum vigeret, quò mutuatarii cogentur ad solvendas usuras. Quòd si contractus usurarius non exprimitur in instrumento, sed pallientur usuræ sub nomine alterius debiti, vel con-

contractus liciti, ita ut ex eomutuatarius postea re ipsa cogatur solvere usuras, Notarium conficiendo tale instrumentum peccare etiam contra iustitiam, & teneri ad restitutionem (in defectum scilicet usurarii) faciendam illi, qui vi illius instrumenti cogitur usuras solvere, v.g. Titius dat Cajo centum aureos, ut post duos menses recipiat centum, & decem, de quo fit à Notario instrumentum sub nomine mutui, quod det Titius Cajo centum, & decem, ut totidem reddat post duos menses, hinc palliatur usura, cum Titius non det nisi centum; ubi Notarius tenetur restituere usuram Cajo, quia vi talis instrumenti in foro exteriori obligatur Cajo reddere centum, & decem.

Hoc tamen limitandum est, & intelligendum de casu, quo conficitur instrumentum non volente, nec petente mutuatario, sed eo invito, & non consentiente; nam si tale instrumentum fieret in favorem Caji petentis, & rogantis, ut tale instrumentum fieret, eò quod aliter non possit habere pecunias, quibus indiget, tunc delinqueret quidem graviter Notarius illud conficiendo, sed ad restitutionem non teneretur, quia petenti, & volenti non fit injuria.

157 Ad 2. Q. R. Notarium non revelando legata, præsertim, pia, in instrumentis à se confectis relicta
R. P. Leonardelli Soc. Jes.

iis, quorum interest, peccare, & teneri ad compensanda damna legatariis, quæ hi ex dilatione, vel non manifestatione inde sunt passi; agitenim contra suum officium, & fidelitatem cum damno aliorum, si quidem vi sui muneris post mortem testatoris tenetur, etiam nullo exigente, si penes se habeat, ac retineat aliquod instrumentum, vel testamentum, ratione cuius aliquibus fiant legata, nec impleta sint, ignorantibus iis, quibus fiunt, illud manifestare, primò quidem iis, quibus incumbit illa implere, & si hi ex sua culpa non impleant, iis, quibus legata fiunt; adeò ut in aliquibus statutis synodalibus Notarius casum reservatum incurrat, uti statutum est in synodali constitutione Tridentina, si intra duos menses pia legata non manifestet, & alibi etiam Excommunicationem, uti in Diocesi Mediolanensi, ubi si post tres menses non denuntiet legata pia, elapsis tribus mensibus ipso facto incidat in Excommunicationem.

Pari modo si Notarius in conficiendis instrumentis aliqua omittat ex ignorantia, vel negligentia, unde illa irrita reddantur, vel unde alter detrimentum patiat, peccat, & ad restitutionem obligatur, quia tenetur scire, quæ sui sunt officii, & in iis observandis debitam diligentiam adhibere.

Ea porro, quæ Notariis observanda sunt, & ad authenticum instru-

strumentum publicum requiruntur, sunt :

Primò in proloquio præmittenda est invocatio Divini nominis, v.g. *In nomine Domini, Amen*, vel in nomine *SS. & individue Trinit.* &c. ut habetur in *Const. Imper. de anno 1512. §. 3.*

2. Exprimatur tempus gesti negotii, videlicet à Christo nato, vel incarnato currens, Indictio Romana. Additur nomen, & annus Pontificis, Imperatoris, Regis, vel Principis regnantis, in cujus territorio conficitur instrumentum. Item dies, & mensis, in quo celebratur contractus. Item locus specialis, in quo legitur instrumentum, scilicet in qua Civitate, in quo pago, in qua platea, & domo &c. 3. Inscrubenda sunt instrumento nomina testium, in quorum præsentia actus celebratus est: Non autem sufficit, ut testes actui præsentés intersint, sed in contractibus, & instrumentis, quæ fiunt in scriptis, debet scriptura à Notario confecta legi coram partibus, & testibus, quia partes debent consentire in omnia substantialia, & testes debent posse deponere, quòd omnia substantialia intervenerint, quod fieri non potest, nisi scripturam legi audiverint, ut sic intelligant, & sciant, illam esse conformem intentioni contrahentium, aut testantium. 4. Apponi debent nomen, cognomen, & sigillum proprium Tabellionis, & Notariatus, si quod habet, addendo etiam

qua authoritate sit Notarius, an Pontificiâ, vel Cæsareâ &c. factum verò, seu negotium sincerè, fideliter, & integrè describere debet in instrumento cum debitis circumstantiis, & causis &c. Non tamen requiritur, ut manu propria Notarii sit scriptum, modo manu Notarii subscribatur; (nisi contrarium alicubi statutum sit, prout statutum est in Constitutionibus Synodalibus Augustanis cap. 6. ut non aliena manu, sed ipsimet Notarii scribant) quia industria Notarii non eligitur in scribendo, sed ut fidem faciat & testetur de rebus gestis, quod satis præstatur per subscriptionem authenticam, id quod colligitur ex *C. inter dilectos 6. §. instrumentum quoque h. tit.* Postquam autem verum, & sincerum instrumentum confecit, tenetur apud se servare regilstrum, ut vocant, & non dare alicui alteri, nisi transumptum aliquod, & hinc si alteri damnum obveniat, eò quòd apud Notarium non maneat regilstrum, tenetur de damno illato, ut notat Tolet. *l. c.* Unde & in *C. quoniam 11. de probat.* injungitur Notariis, ut sua originalia, seu protocolla penes se retineant, ut, si super ibidem scriptis oriatur quæstio, *per hoc possit veritas declarari.*

Ad 3. Q. An Notarius accipiens aliquid supra pretium taxatum, etiam sponte oblatum, peccet, & ad restitutionem teneatur? Petr. Navar. *l. 3. c. 3.* Bonac. *D. 10. q. 3. p. ult.*

*p. ult. Reginald. l. 25. n. 694. Tolet. l. c. Rodriq. 2. p. c. 2. Fill. n. 301. & alii apud Clav. Reg. l. 12. c. 25. contra Medin. l. 1. c. 19. §. 5. & Salon. respondent, Notarium peccare quidem, si ratione scripturæ aliquid ultra præscriptum pretium accipiat, quia agit contra legem, dum lege sancitum est, ut Notarius nihil ultra taxam accipiat, etsi spontè offeratur, & etiam contra juramentum de servanda lege pretii; non tamen eum teneri ad restitutionem; tum quia lex prohibet receptionem, non tamen præcipit restitutionem rei acceptæ, nec accipientem inhabilem reddit ad acquirèdum dominium; tum quia non accipit, nec retinet aliquid contra voluntatem domini, qui non dat plus invito; si tamen plus exigeretur ab invito, Lugo *D. 41. sect. 2. ad restitutionem merito obligat, si taxatio sit justa; an autem sit justa, pendet, inquit, ex multis circumstantiis considerandis, & plerumque, quando leges taxantes sunt valde antiquæ, non censentur jam justæ, quia pretia rerum omnium aucta sunt; in aliquibus enim Regionibus, ut notat etiam Tolet. l. c. existunt ejusmodi taxationes secundum pretia vilissima, quia sunt antiquissima, quando tunc res minimo pretio emebantur, & tunc ipsa Officia multò mi-**

nus valebant; modò autem multum valent: Unde sanctissimè, inquit idem Tolet. facerent Principes, si pretium conveniens, habita temporum, & Regionum ratione, imponerent, aut tale juramentum, quò multi illaqueantur, auferrent penitus. Unde & in Concilio Trid. *sess. 21. c. 1.* præcipitur, ne pro negotio Ordinis Notarius quidquam accipiat: imò nec pro dimissoriis, aut testimonialibus litteris, si habeat salarium ab Episcopo, quòd si non habeat, potest pro his accipere, sed solum decimam partem aurei.

Plures tamen sunt casus, quos affert Lugo *l. c.* in quibus potest Notarius aliquid ultra pretium commune accipere; cujusmodi sunt, quando datur aliquid omninò gratis, & Notario constanter affirmante id sibi nullo modo deberi, datur tamen. 2. Quando ille, qui dat, aliàs bene scit, quantum debeat, & tamen, quia liberalis est, dat plus quàm debetur. 3. Ob laborem, & industriam extraordinariam; quia hæc est pretio æstimabilis, nec tunc aliquid ultra taxam accipi dicitur, cum pretium extraordinarii laboris à lege taxatum non fuerit.